



~~11-58~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-58
SIGNAT. clvccccxiii.



Quod Juventuti Gymnicæ, & omni dehinc
Reip. Wratislaviensi salutare!

AGAPETUS,
Ecclesiæ, ad S. Sophiæ, Constantinopolitanæ
ante annos amplius undecies centenos

Diaconus,
nunc redivivus

JUSTINIANUM I.
designatum Imperatorem Constantino-
litanum, in suscepto Imperii
regimine,

Interventu Juventutis Elisabetanæ,
instruens,

& huic exhinc Præmia,
à Magnifico Munificoq; Senatu Wrat.

Cras a. d. 17. Junii 1677.

Didactri loco,

acquirens,

argentea,

tribuente

JOHANNE GEBHARDO.

Wratislaviæ in Typographia Baumanniana
exprimebat Godofredus Gründer.



L. S. P.


 Mplum & illustre munus est, quod Principes summi hoc in orbe sustinent. Ecquid enim magis queat esse arduum, quàm tot hominum ingeniis tamque diversis unum præesse, dictare leges, iussa ponere, maria, terras, pacem, bella, sua ditione nutuq; moderari? Artificii habetur, in obedientiæ gyrum redigere pauca Puero- rum ingenia. Et quí non eximiæ opus sit artis tot hominum myriadas, quo animali nullum morosius, nullum magis refractarium, vi temperatâ scire gubernare? Majus utique quicquam est, quàm imperitus fortè suspicetur, domi militiaq; personam *summi tueri Principis*, & consilio, prudentia, animiq; potius viribus, quàm corporum, clavum Imperii dirigere. Ut hinc artis Imperatoriæ Doctor *Xenophon*, Philosophus Atticus, verissimè sanè scripserit (Pæd. I.) ὑπερμέγθεσ εἶναι ἔργον τὸ καλῶς ἀρχειν, nimium quantum esse opus bene imperare. Atq; hinc, cum tantæ opus sit difficultatis sceptrâ imperii rite administrare, sapientissimè profectò Socratem censuisse putandum est, *valde absurdum fore, si ad publicos Magistratus admitterentur, quinunquã dedissent operam disciplinis, sine quibus nemo possit rectè Magistratum gerere.* Veluti scilicet artes sedentarias nemo profitetur citra dedecus, nisi qui eas didicit; neq; calceum aut scrinium quis faciendum locat ei, qui opificii ejus est rudis. Unde, mea quidem sententia, jure illi quavis laude digni, qui salutarium monitorum face Principi suo vel olim præluxerunt, vel etiamnum prælucent. Qua enim re possint de Patria sua, vel ipso genere humano mereri præstantius, nisi Principem suum faciendo meliorem? *Qui Regem erudit, & Virtute imbuit, Civis*

Cives quoq; huic subiectos ad probitatem instruit. (Laërt. l. 7.)
Nec rem aliter se habere ipsa loquitur ratio, testatur experientia. Arcto si quidem vinculo constricti sumus, qui imperamur, cum imperante. Et velut à Sole lux huic orbi est, aut tenebræ, pro ejus nempe vel absentia vel præsentia: sic à Rege, inter imperii cives, recta pleraq; vel distorta. Hic enim ad Virtutem si præit, sequimur; si ad Vitia, ad eadem inclinamus. Idem bene si gubernat, floremus; vitiosè si rem gerit publicam, labimur, aut planissimè etiam cum eodem corruimus.

Hæc & id genus alia rationum momenta *Agapetum* procul dubio, Virum sapientissimum, permoverunt, ut *FL. ANICIO JUSTINIANO*, designato *Imperatori Constantinopolitano*, Reip. laudabiliter administrandæ suppeditarit Præcepta Capitulis certis monitoriis **LXXII.** inclusa. De Auctore autem præfato in Antiquitate ferme nihil reperitur, quod ingenium & eruditionem ipsius commendet, nisi quod ex ipso hoc Commentariolo potissimum licet haurire. Ex hujus enim Inscriptione liquet, floruisse eum sæculo, à reparata per *CHRISTUM* humana salute, sexto, quo *JUSTINIANUS*, *JUSTINI Curopalatæ* è Sorore filius, ab *Avunculo* hoc suo Anno tum agens ætatis quadragesimum quintum ad Imperii consortium fuit adoptatus. Hic enim cum in feriis Christianorum Anastaticis inciperet ægrotare ex pede, quem sagitta læserat, *JUSTINIANUM* Calendis Aprilis Imperii assumpsit socium. Cumq; malum pedis plus subinde plusq; invalesceret, vitam Calendis Augusti, Anni, à nato Sotere, quingentesimi vigesimi septimi, naturæ solvit. Atq; sic *JUSTINIANUS* hic, à die Augusti novissimo; Imperium Orbis solus cæpit administrare. Unde haud difficulter col-



legimus *Libellam* hunc ab *Agapeto* fuisse concinnatum ante undecim jam tum sæcula, & ipsam annorum insuper semicenturiam. Eo autem tempore, quo hanc exaravit Parænesin, *Diaconum* se fuisse profiteretur magnæ & sacrosanctæ *Ecclesiæ Constantinopolitanæ*, ubi Prætorium Imperatorum tum erat, desertâ à CONSTANTINO MAX. Româ, constitutum. Fuisse autem *Libellum* hunc in magno inter Græcos æstimo indè sanè liquet, quod ΒΑΣΙΛΙΚΗ ΣΧΕΔΗ, *Regia Scheda*, olim fuit nuncupatus. Et suo quidem meritissimo, quia de officio *Regis*, & imprimis *Christiani*, differit. Agapetum tamen hunc non permansisse per vitam suam omnem simpliciter *Diaconum*; sed successivè ad alias quoq; provecum fuisse dignitates, indè licet colligere, quia in *Tomis Conciliorum* memoratur, A. C. quingentesimo trigesimo sexto, missus fuisse *Legatus* Constantinopolin ad *Imperatorem Justinianum Amalafuenthæ Reginae*, sibi commendatæ, à *Theodabado* perpetratâ cæde sibi offensum. Quin & argumèti singularis notatuq; dignissimum hoc insuper ejus in priscis historiarum monumentis observatum legimus factum. Cum *Anthimus*, sive, ut alii malunt, *Anthemius*, *Episcopus Constantinopolitanus*, hæreticis *Acephalis* tum consensisset, & ab ipso etiam *Imperatore Agapetus* pariter, horum ut hæresin probaret, esset invitatus, interq; hos duos eapropter pertinax orta esset contentio; *Imperator indignatus Pontificem Romanum* jussit meminisse, quod *Imperatori* se opponeret, penes quem summa esset potestas; & minas etiam increpationi fertur addidisse. Tum animo imperterrito *Agapetus* hic, *Pontificis Legatus*, & satis insuper falsè perhibetur respondisse: *Putabam me venisse ad Principem Christianum, sed veni, ut deprehendo, ad Diocletianum.* Collum
etiam

etiam nudasse memorant, responso dato, se eadem æquo
laturum esse animo, quin immo fore beatum, si ob causam
tam justam vitæ sibi Spiritus adimeretur. Hac ergo parrhe-
sia commotum ferunt fuisse JUSTINIANUM, & piis *Episcopi*
consiliis æqua mente concessisse: atque ejecto in exilium
Anthimo, sed erroris ab Agapeto prius convicto, *Mennam*
in ejusdem cathedram substituisse. Idem verò Constanti-
nopoli vitâ perhibetur defunctus, & corpus ejus Romam,
loculo plumbeo, in Basilicam B. *Petri* tralatum. Sunt ta-
men, qui *Agapeto* alii, Diacono huic cognomini, Legatio-
nem hanc, rationibus vero perquam similibus, attribuant.

Ceterum cum *Agapetus hanc Schedam* JUSTINIANO obtulisse
memoretur, mentionem Imperatoris hujus quoq; facere ope-
ræ fuerit pretium, præsertim cū Imperator hic, laude omni
& deprædicatione dignissimus, non minus Zoilos invene-
rit suos & obtrectatores, quàm Encomiastas. *Αναλφάβητον* hunc
ἡγὴ ἀμείβητον, fuisse Principem h. e. nullis planè litterarum di-
sciplinis initiatum, ut ut *ὁρθοδοξίατον*, sive rectæ fidei perquam
studiosum, asserit *Suidas*, *Monachus Byzantinus*, in insigni
suo, quem posteritati reliquit, Thesauro, & quodam quasi
Amalthææ cornu. At verò *Anastasius* contrà in *Johanne II.*
attestatur, misisse JUSTINIANUM fidem suam chirographo
scriptam proprio ad sedem Apostolicam. Sic nec minus
Procopius, *Illustrius Casariensis*, Orator & Sophista, *Librarius*
Bellisarii & *Consiliarius* (Lib. III. belli Gothici.) Scriptor, è
Bodini judicio (in *Meth.* p. 96.) verissimus, auctor est, dese-
disse JUSTINIANUM ad multam noctem in Museo cum Se-
nioribus quibusq;, attentissimo studio, arcana Christiano-
rum dogmatum investigantem. Idem insuper Imperator
ad disputandum perhibetur provocasse hæreticos sui tem-
poris

poris omnes, & eos valdè pressisse rationibus, modò probabilibus, modò demonstrationibus, modò testimoniis sacrarum usus paginarum, contestante *Eustathio* in *Vita S. Eutychii*, Viro piissimo, sapientissimoq; Quantum etiam in Philosophicis profecerit, docet ipse nos hac in Scheda *Agapetus*, dum in hanc scribit sententiam: (S. 17.) *In Vobis re ipsa effulsit illud felicitis Vitæ tempus, quod fore ex Veteribus quidam prædixit, cum aut Philosophi regnaturi essent, vel Reges philosophaturi. Etenim cum Sapientiæ essetis dediti, regno digni estis judicati: Et regno suscepto, ab hoc studio non deservistis. Si enim τὸ φιλεῖν σοφίαν, amor Sapientiæ Philosophiam constituit, initium autem, siue caput & principatus Sapientiæ est DEI timor, quem vestris præcordiis conceptum geritis: manifesta evadit veritas ejus, quod à me dictum fuit.* Doctissimi tandem sapientissimiq; Principis titulum *JUSTINIANO Theodahadus* tribuit apud *Cassiodorum*. Tum doctissimum appellatum in MS. quodam Vaticano notavit *Alemannus*, velut in eruditissimis suis ad *Historiam universalem Observationibus* nos docet *Chr. Ad. Rupertus*, Vir de litteris humanioribus optimè meritus, & ulterius, nisi mors præmatura, ætate, studiis, fama florentissimum, funere nobis præripuisset nimis acerbo. Et qui non Principibus literatis accensendus sit *JUSTINIANUS*, qui tantum est aggressus in re litteraria opus, quantum ante Imperatorem hunc omninò nullus? Scilicet dum *Leges Romanas* prolixè diffusas, & passim dissonas, operâ *Treboniani & Collegarum* ejus, sic correxit, ut omnes Principum Constitutiones, quæ in Voluminibus habebantur diversissimis, intra XII. Libros coarctârit, atq; ita *Jurisprudentiæ* quoddam quasi *Oraculum* erexerit, quod in causis dubiis, verius ac *Delphicum*, aut *Dodonæum*, homines ex incertis efficit certos. Velut autem illud à nomine suo & Auctore primario appellari jussit *Codicem Justiniani*: ita rursus etiam *Magistratum &*

Jctorum

Legum veterum leges, usq; ad duo millia librorum antè extensas, intra quinquaginta librorum numerum redegit; *Pandectarum* sive *Digestorum* nomenclatione nuncupans. Præterea curæ hujus Imperatoris Institutionum Juridicarum libros, quibus summa universarum legum comprehenditur, potissimum etiam debemus. Tantum igitur abest, ut JUSTINIANUS fuerit Analphabetus, ut potius Viris doctissimis, extra omnem controversiam, sit annumerandus. Usque adeò nihil itaq; tam sanctum est, quod calumnia prægravare non audeat. dum ea non gentium tantummodò minorum homines, sed & aulas prælustres & heroes inclutissimos sæpe impetit. Quin immò ut tauri olim in Romanorum ludis purpura & rubore quam maximè fuerunt irritati, cum tamen hi colorum habeantur præstantissimi: ita simile in istis observari solet, quorum virus provocat ipsa Virtus. Et ut tandem facilè aliis demus, Imperatorem hunc suos quoq; notabiles habuisse nævos; (nunquam siquidem hallucinari, supra caput est hominis) Virtutum tamen ejus præstantia illos merito obteggit. Nullum itaq; est dubium, quin AGAPETUS multum hac *Scheda* sua *Regia* in JUSTINIANO, Principe inclutissimo, præmonendo profecerit. Et licet præceptiones hæ ad Majestatem Imperatoriam principaliter accommodatæ, subjectis imperio civibus nequeant applicari singulæ; cum plerisq; tamen ita comparatum est, ut his quoq;, mutatis mutandis, possint fieri fructuosæ. Undè factum, ut hæc *Scheda* in Scholis hinc inde non trivis tantum, sed & Academicis, tam ob Præceptionum Christianis omnibus utilissimarum copiam, quam stili Græci elegantiam, Juventuti sit proposita. Quam cum & nos ante annos paucos Adolescentiæ Φιλέλληνη in privata quadam Schola dederimus evolutam, in mentem nuper subiit eandem publicè in exercitio brevi Gymnico repetere, ut & lingvarum sic, & rerum simul aliquam exinde comparet sibi cognitionem. Quid hac in re præstiterit, judicabunt dexterrimè, qui eam audient publicè ex horum serie præceptorum differentem. Id quod cum matutino crastino sit futurum, à Vobis, Domini, Patroni, Fautores, Amici, ea qua decet, veneratione contendo, ut hora ejusdem octava in Acroaterium Gymnasii nostri supremum se ne graventur recipere. Quorum con-

spectus

ſpectus exoptatiſſimus veluti ſingulare Juventuti exercendæ præbi-
turus eſt gaudium: ita non minus juveniliū conatum non medio-
criter alet acuetq; fervorem. P. P. Wrat. 16. Junii 1677.

Schedam Agapeti Regiam Perſonis animatam, in ſce-
nam Acroaterii Gymnados ſupremi producent.

1. Græcè

1. Βασιλεύς, *Gabriel Bauerus Annaberg.*

2. Amici,

1. Δεσπότης, *Georgius Carponaides Illaviens.*

2. Σεβαστοκράτωρ, *Johannes Georgius Ernestus Wrat.*

3. Καίσαρ, *Jeremias Scholzius Ligius.*

4. Πρωτοσεβαστός, *Casparus Christmannus Strelens.*

5. Μέγας Δῆξ, *Gottofredus Springerus Wrat.*

6. Μέγας Δομέσικος, *Abrahamus, Gruberus Sempron.*

2. Latinè ſtilo paraphraſtico

1. Prorſo

1. Imperator, *Christianus Reichelius Wolaviens.*

2. Amici

1. Despota, *Casparus Hillerus Wrat.*

2. Sebastocrator, *Gottofredus Preiß/Wrat.*

3. Cæſar. *Balthasar Henricus à Siegroth.*

4. Protoſebaſtus, *Johannes Gottofredus Zentsch/Olfenas.*

5. Magnus Dux, *Petrus Paulus Feckno Galgoc.*

6. Magnus Domesticus, *Christianus Schmidt/Wrat.*

2. Vorſo, Genii Imperii Orientalis idem ſuadentes

1. *Caspar Grævius Wrat.*

2. *Cornelius Guſchke Wrat.*

3. *Johannes Chriſtophorus Riediger Gorlic.*

4. *Jacobus Sendel Wrat.*

5. *Christianus Krauſe Wrat.*

6. *Heinricus Kohn Wrat.*

Quibus abſolutis Præceptor, præmiſſis paucis, Didactri loco, ſingulis nummum
distribuet argenteum.

Δ. Γ. Θ.

☉(☉)



Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3
002 686 287



Sb,

VD17
Sep. 2000 Pd.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13



nicæ, & omni dehinc
iens salutare!

ETUS,

Constantinopolitanæ
undecies centenos

us,
vivus

ANUM I.

rem Constantinopo-
cepto Imperii

ine,

utis *Elisabetana*,

ens,

c Præmia,

oq; Senatu Wrat.

Junii 1677.

loco,

ens,

ea,

nte

EBHARDO.

raphia Baumanniana

fredus Gründer.

84

